ULTIMUM COLLOQUIUM
Pædagogi,
cum
Cariſſimo ſibi quondam & diligentiſſimo
Diſcipulo
JOHANNE HENRICO KRÜGERO,
VIRI
Nobilisſimi, Spectabilis atq; Prudentisſimi
DOMINI
JOHANNIS KRÜGERI,
Inclyti Judicii Thorun. Palæopol. Scabini,
nec non
Gymnaſii Patrii Scholarchæ dignisſimi,
Filio dilectiſſimo,
morte immaturâ è vitâ excedente,
Anno, quó
SæVâ Inſperatè rapIVntVr ſorte sVaVes
DeLICIæ MatrIs, grataqVe VIta PatrIs.
Die ſolennis Sepulturæ 17. Febr.
inſtitutum
a
Martino Calixto.

Thorunii, Imprimebat Johannes Balthaſar Bresler.

Quærens Pædagogus.

BLande Nate, quem Parentes nominare flosculum
Assolebant, diligentes ut suum Te corculum,
Quæ causa quod nos deseras?
Forte non Tibi placebat dimicare cum libris
Optimi quod Te jubebat cura non iners Patris?
Non ista de Te sentio.
Non opus fuit monere, quod libellos volveres
Te; fuisti namqve verè sedulus dum viveres,
Solas amasti literas.
Literas solas amasti: Sed quid est amasse eas,
Dum repentè prætulisti sidus illis, & novas
Ædes beati sideris?
Ecce jam per Te queruntur deseri se: singuli
Ejulantes Te seqvuntur non secus, quàm numuli
Omnes eis rapti forent.
Flet Pater cum Matre amata, flent Amici nobiles,
Flent Sorores; unde tota turba præter flebiles
Audire voces nil potest.
Perditum Pater suavis dicis esse Filium,
Perditum Mater fidelis omne cordis gaudium,
Carum Puellum cæteri.
Me quoqve anxii dolores non sinunt quiescere,
Dum subit quàm omnes labores, quos dabam, deducere
Toto solebas tempore.
Tristis hinc gemo. Tuosq; appello Manes ultimos,
Dic, quid hoc sit, quod relinquas, tam Parentes optimos,
Quàm singulos nos, anxios.

Re-

Respondens Discipulus.

Sic jussit ille Cœlitum
    Rex, Summus Orbis Rector,
Cujus fui, tùm, care, cùm
    Esses meus Præceptor;
Quamvis enim Parentibus
    Dulcissimis parebam,
Votis tamen frequentibus,
    Hæc otia expetebam.

Nec me putato literas
    Curare noluisse,
Quas Tu mihi præscripseras,
    Cum me videres esse
Multùm rudem si vivere
    Diutius jussisset
Me Christus, his impendere,
    Ver omne meus fuisset.

Sed cùm mihi præciderit
    Vitæ filum Redemptor,
A teq; me evocaverit
    Ad astra, mi Præceptor.
Noli meos lacessere
    Manes, sed apprecare,
Ut hic queam quiescere,
    Ad ultimæ punctum horæ.

Et cur plateas fletibus
    Implent pii Parentes?
Dum perfruor perennibus
    Bonis? an invide tes
Volunt videri? non gemant,
    Verùm fugent dolorem
Omnem DEOq; deferant,
    Qui fecit hæc, honorem.

Ad

Ad flentes Pædagogus.

CErnitis, ut puer hic flentes vos arguit omnes,
Flere vetat mortem, lætior ipſe ſuam.
Flere vetat mortem lacrymisq; rigare ſepulchrum.
Cur? quia per Chriſtum regna parata ſubit.
O felicem illum! potuit præcedere Patrem,
Nec licuit Matri hæc, regna ſubire priùs.
Nempe fuit Superis, à primo flore juventæ
Plus carus, Matri quàm fuit atq; Patri.
Ergò placatis animis gaudete, Parentes,
Et quorum pectus nobile luctus alit.
Fauſtior is vobis, ſcandit palatia Cœli,
Exſpectaturus vos quoq; lætus ibi.
Et veniet tempus quô vos quoq; ad aſtra vocabit
Judex in dextra cuncta regente ſedens.
Tum rurſus vobis Puer hic jungetur amatus,
Nec poterit vobis mors fera ſumere eum.
Æternâ requie vobis gaudere licebit:
Æternâ requie nonne ſuave frui eſt?

